

volentes. ἀλλ' οὐ σύμβλητ' ἐσι κυνός βατος οὐδ'
ἀνεμώνα πρὸς ῥόδα. Sed hac de his.

Domum porrò reuersus Lutherus, una manu
adificationē templi vrsit continuo & indefesso stu-
dio, altera repulit hostes, restitit Pontificijs, Ana-
baptistis, Sacramentarijs, Antinomis, & alijs
compluribus, sicut ipse inquit, se plura, quam tri-
ginta genera hereticorum publicorum & prina-
torum habuisse in conspectu suo, & nisi veritate
verbi diuini se probè instruxisset & obsirmasset,
singulis annis, imo propemodum singulis mensibus
nouam fidem & phantasiā sibi suscipiendam
fuisse, quemadmodum eueniat omnibus, qui se-
curi sint, & Verbo & inuocatione veram fidem
& doctrinam non obmuniunt. Et congruit cum
hoc sermone oratio Viri cuiusdam, sapientia &
autoritate prestantis, qui ad quosdam proceres
nuper dixit, hoc anno si fuerimus Calviniani,
sequenti anno erimus Arriani, addiderunt postea
alijs, tertio anno aliquid erimus aliud, quarto anno
nihil, aut prorsus Mahometista, quinto anno ad
infernum. Dederunt autem Luthero testimo-
nium ipsi Pontificij saniores & eruditiores, nemi-
nem tam acriter, tam feliciter, tam animose &
efficaciter sectis & prauis dogmatis hac etate ex-
ortis resistere, ac unum Lutherum, & hunc scrip-
toribus Pontificijs, scholasticis sophistis, monar-
chis & alijs, quietem à labore parasse & dedisse,
qui